



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. III. De summa æstimatione, in qua haberi debent omnia ad Deum pertinentia, & primò illius servitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

## CAPUT III.

De summa æstimatione , in  
qua haberi debent omnia ad  
DEUM pertinentia , & primò  
illius servitus.



Ualis est personarum , talis & re-  
rum ad eas pertinentium dignitas  
esse solet : ac proinde , cum sub-  
limior sit principum , quàm ho-  
minum privatorum conditio ; nemo est , quin  
magis magni principis , quàm privati hominis  
amicitiam appetat : & quantò altioris fastigi  
Dominus est , tantò illi servire præstabilius  
ducitur. Cùm igitur DEUS Princeps sit ex-  
cellentiæ omnino infinitæ , dignissimûsque ,  
qui cæteris omnibus immensò intervallò præ-  
feratur ; dubitari non potest , quin ad ipsum  
spectantia anteponi secundùm justam pro-  
portionem iis debeant , quæ creatas res atti-  
nent : adeò ut quantò illum quibuslibet bonis ,  
& personis creatis æstimabiliorem ducimus ,  
tantò etiam sub illius dominatu , & patrocínio  
degere , amicitia nexu illi jungi , illumque  
pro objecto fruitionis habere , in amplioris  
gloriæ , ac felicitatis loco , quàm cujuslibet  
al-

alterius Domini patrocinium, cujuslibet alterius personæ amicitiam, & cujuslibet alterius boni possessionem, atque fructum æstimemus. Quod est, DEUM non in sua duntaxat essentia, sed respectu etiam nostri, summè æstimare: nec solum ut præstantissimum ens, verum etiam ut præstantissimum nostrum bonum concipere.

2. Sed quoniam hoc æstimationis consuetudinæ, & practicæ genus latè nimis diffunditur, operæ pretium erit, in plura illud capita dispertire: de sola æstimatione hic agendo, quæ habenda est de libera, & ultronea DEI servitute. Libera, dixi, & ultronea: nam cæteroqui neminem latet creata quævis entia, seu bona, seu mala, seu rationalia, seu bruta, seu animata, seu inanimata, supremi illius Domini imperio per insitam in suamet natura necessitatem subesse: ideo ut, secundum hujusmodi necessariam, innatamque servitutem, nihilo illi minùs propriè tartarei, quàm cælestes spiritus, & homines famulentur, quàm pecudes: *Quoniam omnia serviunt tibi.* (Ps. 118.) Haud talis igitur illa servitus DEI est, cujus ego dignitatem demonstrandam hic sumpsi, sed alia, quam piæ animæ ultrò suscipiunt, Creatoris sui obsequiis se peculiariter

mancipantes, nihilque in omni vita enixius studentes, quam illum colere, illi obtemperare, illius leges implere. Et hoc servitutis genus, seu voti religione in cœnobiis devinctum, seu nexu illo liberum, sed stabile, & æquali, ac perpetuo tenore productum, statuo, atque affirmo, ab idoneo quovis DEI æstimatore summo in pretio esse habendum, & ante omnem vel amplissimam terrenæ fortis conditionem, quâ honestatis, quâ felicitatis prærogativâ ponendum.

3. Et primò intelligendi causâ, quantò intervallò hujuscemodi servitus humanam omnem gloriam transcendat, quàmque verè in illius commendationem ab Hilario Arelatensi definitum sit, *Fastigium nobilitatis esse, inter DEI famulos computari. (In vita S. Honor.)* Dominum intueri fas est, in cujus nos familiam adscribit. Si enim pro majori, vel minori Dominorum dignitate, magis vel minus conspicua æstimari solet illis servientium conditio, ideòque & gloriosiores incedere, & impensius observari eos videmus, qui in maximi Regnatoris, quàm qui in vulgaris Dynastæ aula versantur; quanta, rogo, quàmque illustris, gloriosa, & sublimis dicenda fors erit inservientium DEO, principi tam immensæ amplitudinis, ut co-  
ram

ram eo excelsissimus quivis Regnator, nihilo æstimabilior reptante humi vermiculo appareat? Adeò certè præclara est, atque eximia, ut vel supremo in orbem terrarum imperio longè mereatur præferri. Neque hæc illius commendatio hyperbole est, fidei modum excedens, sed tam indubitabilis veritas; quàm indubitabile est, divinum de rebus iudicium unam esse, de iis rectè judicandi certissimam normam, nec majorem censi quemquam posse, quàm in æstimatione DE I sit. Nempe hoc admissio, ceu à nemine dubitari potest, quin DEUS majore in pretio, quàm potentissimus quisque Regum, aut Cæsarum suos famulos habeat, imò neminem præter hos magni faciat: quos solos extremi iudicii die honoratissimo ad dexteram suam loco dignabitur, cum è contrario tetrenis olim sceptris, atque imperiis superbos, nisi cum populorum regimine debitam sibi subjectionem junxerint, procul à se in orci sentinam, ceu vilissima humani generis purgamenta, & nullius pretii quisquiliæ abjecturus sit; quem admodum, inquam, de hac ejus æstimatione nemini dubitare fas est; sic neque ulli esse dubium potest, quin rectus quilibet æstimator terrena omni dignitate pluris debeat facere

DEI

DEI servitatem, imò nullam, hac excepta; veram dignitatem agnoscere. *DEUM time,* (inquit Ecclesiastes) *& mandata ejus observa. Hoc est enim omnis homo.* (c. 12.) Ità fanè: totus hìc honor, tota sublimitas, tota consistit hominis glòria.

4. Nè igitur ab externa objectorum specie finamus nos in fraudem abduci, néve infideli vulgarium persuasionum trutina, sed potius *Sanctuarii siculo*, atque pondere, certissimo scilicet divinæ mentis judicio in constituendis rerum pretiis utamur. Præsertim quòd, si actiones terrenorum Regum proprias, quod à Joanne Chrysofomo peculiari oratione factitatum est, (*Serm. de Comp. Reg. & Mon.*) cum iis comparandas sumamus, quæ exerceri à DEI famulis solent; vel per nos ipsos longè præclariùs in his, quàm illis nobilitatis specimen intuebimur. Nam, si primi populis imperant, & potestatem in eorum corpora obtinent; alteri refractarios, & tumultuantes sui animi affectus (quod omnium sapientium judicio excellentius imperii genus est) moderantur, inque officio continent, & parere rationi cogunt. Si illi, juxta Evangelii testificationem, (*Luc. 22.*) *Benefici vocantur*, ratione opum, ac munerum terrenorum, quibus

bus clientes suos ditant ; quotusquisque non videt , tantò his justius nomenclaturæ illius honestamentum deberi , quantò altiora sunt sanctimonix , ac virtutis bona , quæ precum , exemplorum , & admonitionum efficacitate nulli non generi hominum præstant ? Si denique illa contra æmulos Reges bella fortiter gerunt , eorúmque fundunt copias , & provincias occupant ; quidnam bella hujusmodi præ iis sunt , quæ DEO servientes suscipiunt , non utique contra hostes occiduos , & visibiles , sed adversus principes , & potestates , adversus mundi Rectores tenebrarum harum , contra spiritualia nequitix in cælestibus ? ( Ad Ephes. 6. ) neque id , ut caducis potiantur spoliis , & paucos , nescio , quot terreni orbis palmos ditioni suæ adjiciant ; sed pro longè amplioribus præmiis , cujusmodi sunt divinæ gratiæ thesauri , & immortalia cælestis regni diademata ? Quapropter , cum officia , atque munera , quæ in quolibet statu specialiter obeuntur , pro congruentissima sint illius nobilitatis decempeda ; nihil difficultatis , moræque nobis superest , quin cum memorato suprà Joanne Chrystomo concludamus , quemadmodum functiones , DEO servientium propriæ , functionibus Regnantium , sic illorum pariter statum de-

debere horum statui excellentiæ prærogativâ anteferri.

5. Imò patens adeò, & cuivis manifestâ hujusmodi conclusio est, ut ipsimet supremi populorum Rectores, vel inter principalis fortunæ fumos, & offusas ab Aulicorum assentationibus nebulas, eam rite perspexerint, & suo testimonio approbârint: descendentes ad singularis observantiæ, & demissionis specimina erga DEI famulos, quasi erga personas, quibus faterentur conditionis, & gradûs eminentiâ inferiores se esse. Exemplum esto Theodobertus Rex Galliæ, qui S. Maurum, sociosque Monachos invisurus, plurium dierum iter suscepit, ingressusque cœnobium, coram Religioso illo cœtu sese humi prostravit, submissè orans, ut se socii locò habere dignarentur, suumque nomen ipsorum inter nomina adscribere. Cui tum plures alios adjungere possem Reges, tum ipsosinet Romanos Pontifices, qui cum amplissimis quibusque terrarum Dominis supremæ authoritatis suæ retinentes, haud tamen indignum hac censent, suis se in literis *Servos servorum DEI* nuncupare. Sed quid opus testimoniis mortalium? cùm cælestis Domini servitus adeò supra altissimum quodvis seu fortunæ, seu

na-



naturæ decus emineat; ut ipsimet Angeli nullo alio crebrius nomine in sacrarum Literarum monumentis cohonestentur: jamque *administratorios spiritus in ministerium missos*, jam *facientes verbum illius*, (ad Hebr. 1. Ps. 102.) ibi eos appellari mos sit. Unde etiam ille in Apocalypsi Angelus nullo pacto adorari à D. Joanne se tulit, professus, nihil amplius, quàm ejus socium in Altissimi famulatu se esse. *Conservus tuus sum, & fratrum tuorum; DEUM adora.* (c. 19.)

6. Neque solùm ex incomparabili Numinis magnitudine evidenter colligitur, quantò honestior, sed quantò etiam beatior quacunque alia conditione illius servitus sit. Cùm enim ad Dominos spectet, suum famulatum professis patrocinio adesse, & condignam obsequii, ac fidelitatis mercedem persolvere; planissimè apparet, quantò amplior eorum fuerit opulentia, & potestas, tantò plus securitatis, & ampliora præmia ab iis posse expectari. Quare si magnæ felicitatis loco ducebatur servire Alexandro, profitenti, suam se magnitudinem pro mensura suarum largitionum, & mercedum habere; quantò felicior dicenda fors erit servientium DEO, Regnatori tantæ opulentæ, ut nullis, quantumcun-  
que

que amplis munerum profusionibus non dicam exhauriri, sed vel tantillum diminui illius ærarium possit: quique, ceu multò veriùs, quàm superbus ille Macedo, non expendit, *quid nos deceat accipere, sed quid se deceat dare*: ità, cùm, quod ipsum decet dare, infinitè excedat, quidquid nos meremur accipere; pro calice aquæ frigidæ non urbem, aut provinciam, imò neque imperium par imperio Alexandri, sed nihil minùs, quàm suimet totius, immensissimi, æternique boni possessionem retribuit? *Ego p[ro]tector tuus sum, & merces tua magna nimis.* (Genes. 15.)

7. Scribit Tullius, (Act. 7. in Ver.) tantam Romanæ urbis majestatem, ac potentiam fuisse, ut cuilibet suorum civium vel in barbaris, & remotissimis quibusque regionibus securitatem præstaret: perinde quasi ad omnem propulsandam injuriam sat foret, palàm dicere: *Civis Romanus sum.* At quis non videt, quantò justiores omnimodæ securitatis, fiduciaque habeat causas, cuicumque profiteri de se licet, *Servus DEI sum?* Cùm, quocumque proficiscitur, salutaris instar tesserae illam secum circumferat cælestis Domini ad suos servos sententiam: *Qui vos tetigerit, tangit pupil- lam oculi mei:* (Zach. 2.) neque ullum sit seu-  
ter-

terræ latus, seu maris, ubi degens, sub illius umbra, & alis non degat: *Si habitavero in extremis maris, etenim illuc deducet me manus tua, & tenebit me dextera tua.* (Ps. 138.) Quare inter ultima quævis discrimina gloriari confidenter potest: *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* (Ps. 26.) tanquam illi serviens principi, *cujus dominari super nos, est salvare nos: nostrum autem servire illi nihil est, nisi ab illo salvari,* prout Abbas Guilielmus testatur. Neque est, cur quisquam objiciat, servos DEI etiam fidissimos perquam sæpe à sceleratis hominibus omni genere injuriarum vexari, eo interim nè digitum quidem ad eorum tutelam movente. Nam, ut de prodigiosa virtute nil dicam, qua eos toties ab infestis adversariorum oppugnationibus incolumes præstitit, factis ii habent, provido, fidelique ipsius patrocinio ab illis discriminibus vindicari, ubi de æterna incolumitate, sola videlicet magni, imò summi momenti re agitur: adeò ut ipsamet inferni hostis tentamenta, & occasiones peccandi in gloriæ incrementam sibi abeant, quæque extremam minabantur perniciem, *cooperentur in bonum.* Cujus fiduciæ, ac securitatis specimen in fortissima illa Hebræorum adolescentum triade intueri licuit: cum Assyrius

rius Rex præsentem iis mortem denuntiaret, nisi ante suam statuam adorabundi procubuissent, stolidè adjiciens: *Et quis est DEUS, qui eripiat vos de manu mea?* siquidem pro certissimo habentes omnipotentem Dominum, pro cuius fide id subibant discriminis, eos vel ab imminente nece incolumes subducturum; vel ea defunctos illustriori exornaturum corona; superbæ impotentis tyranni denuntiationi pi-um illud, juxtaque animosum dederunt responsum: *Non oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim DEUS noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ô Rex, liberare. Quòd si noluerit notum sit tibi Rex: quia Deos tuos non colimus, & statuam, quam erexisti, non adoramus. (Dan. c. 3.)*

8. Addite commemoratis jam fructibus quasdam alias divinæ servitutis præclarissimas prærogativas: nempe, quòd Domino hìc famulamur, non potentissimo solùm ad nos tuendos, & liberalissimo ad remunerandos, sed immuni præterea ab iis omnibus vitiis, quæ invisam reddere serviendi conditionem solent, omnibusque iis prærogativis conspicuo, quæ gratiam, & amabilitatem eidem conciliant. Si enim terreni Principes, Dominique cernuntur, onera sæpenumero supra vires fu-

is ministris imponere: nec unquam è suæ dignitatis fastigio ad familiarem cum iis agendi rationem descendere: & , ubi quid ab iis vel peccatum leviter, aut offensum per imprudentiam sit, impotenti ira excandescere, imò etiam interdum ex temere conceptis suspitionibus, quamvis prorsus innoxios damnare: ac demum, quia eorum operâ indigent, si minori ad imperia exequenda habitudine instructi à natura sint; esto cæteroquin singulari erga se benevolentia affectos sua è domo dimittere; si ità, inquam, morati esse adversus famulos mortales Domini solent, cælesti contra Domino nihil est seu moderatius in exigendis eorum ministeriis, seu in quotidiana cum iis consuetudine benignius, seu in ferendis æquo animo eorum delictis mansuetius. Quare ejus præcepta nedum impleri, sed parvo etiam negotio, suaviterque impleri ab omnibus possunt: & , si quando extraordinarii operis quidpiam præscribit, vires simul idoneas ad illius effectum impertit: neque indignatur, si subjectorum aliquis secum familiariter agat: quin eos potius ad hujusmodi familiaritatem omnes invitat, pròque amicis potius, & filiis, quàm servorum locò habet: nec solum à nemine, qui insons foret, ob de-

lata falsò crimina abalienatus unquam animo est, sed quotidianis insuper negligenter ferventium culpas facillimè tolerat: quin & paratissimus est ad extrema quævis scelera iis condonanda, simul atque pœnitentiâ ducti, & meliora in futurum spondentes, præteritæ improbitatis veniam petierint: ac demum, quicumque in fervorum illius albo censentur, compertum quàm certissimè habent, propter nullam præsidiorum naturalium inopiam minus illi acceptos se fore: sed utcunque à natura parati, seu vivido, seu inertis, obtusòque animi sensu, seu firmis, seu imbecillis viribus sint, pari apud eum loco futuros: nempe apud Dominum, qui non aliam in suis, nisi bonæ voluntatis dotem requirit, plenissimè hac una, etsi reliquæ omnes absint, contentus. Quas illius dotes, quisquis iusta lance ponderaverit, non video, quî possit non meliorem ipsamet libertate, imò & terrena omni dominatione arbitrari ipsius servitutem: quemadmodum, teste Livio, Eumenis Regis moderatio, & benignitas amabile adeò ejus imperium populis Asiæ reddebat, ut, *quæ sub ditione illius urbes essent, nullius liberæ civitatis fortunam mutatam secum vellent.* Videmus certè interdum perexiguæ ditionis Principes in nobilem

potentissimi alicujus Regis clientelam, & subjectionem ultro se tradere, plúsq̄ue in hac, quàm in hæreditario suo principatu sibi constituere ad nominis decus, & rerum tutelam præsidii. Quocirca, cùm supremus cæli Dominus incomparabiliter ampliùs maximo cuique terrarum Regi, quàm hic vulgari Dynastæ potentiâ, gloriâque antecellat; planissimè hinc licet colligere, quemadmodum gregario illi toparchæ plus opum, splendorisque affert potentissimi alicujus Regis servitus, quàm oppiduli sui dominatus: sic potentissimo cuique Regi multò gloriosius, utiliùsque esse, si omnipotenti universitatis Domino famuletur, quàm quòd tantum orbis terrarum sub ditione sua habeat.

9. Cùm itaque tanti pretii, adeoque expetenda DEI servitus sit, quatuor potissimùm modis declarari à nobis illius æstimatio potest. Primus est, ut summo in honore habeamus eos, qui eam profitentur, non beatos duntaxat vocando, ceu Regina olim Saba Salomonis famulos vocavit, dicens: *Beati servi tui, qui stant coram te semper;* (L. 3. Reg. c. 10.) verùm etiam terrenæ cuilibet amplissimæ conditioni eorum conditionem præhabendo, juxta Davidis sententiam, beatum pronuntiantis

esse populum, non qui mortalibus quibusvis bonis circumfluat, sed qui sub peculiari dominatu DEI sit: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Beatus populus, cujus est Dominus DEUS ejus. (Ps. 143.)* Ubi locus foret objurgandæ illorum perverfitatis, qui filios nullis non artibus à religiosa vita, hoc est à servitute DEI avocant. Cæci illi quidem, divinæque profus lucis expertes, si non agnoscunt, quanto bono sobolem suam fraudatum eant: inhumani verò, nec haberi patrum loco digni, si id agnoscentes tam eximiam filiorum felicitatem post terrenas rationes suas ponunt. Cujus objurgationis pars non exigua in eos itè quadraret, qui, si juvenem quempiam præclaris fortunæ, naturæque donis florentem aspiciant, repudiatis sæculi illecebris, divino se cultui mancipare, miserantur illius sortem, perinde quasi majora tunc dimittat, quàm acquirat: dicentes intrà animum suum, & quandoque etiam apud familiares, & conscios: proh facinus non ferendum! indolem tam egregiam absque ullo sui usu perire! Inconsulte nimiùm juvenis, qui ævi tui florem, totque animi, & corporis decora ex amplioribus promiscuæ vitæ spatiis, ubi dignum exhibere sui speciem potuissent, in cænobii ob-

scu-



fcuritatem, & latebras defodis. Judicia sanè, atque sensa ab orthodoxæ fidei placitis nimium quàm abhorrentia, & Christiano homine prorsus indigna, sed ex DEI ignoratione passim proveniente, quæ dici vix potest, quanta vulgi mentibus insit: unde illas videmus tot, tamque fœdas existere opinionum, ac morum corruptelas, quibus misere adeò vita hominum scatet.

IO. Sed his tenebrionibus omissis, redeamus ad præclaram æstimationem, in qua haberi meretur DEO fervientium status. Alter itaque exprimendæ illius erit modus, flagranter optare, ut nos quoque felici huic numero aggregemur, aut si aggregati jam sumus, nostra sorte contentissimi vivamus: adeò ut neminem ex potentibus, ac fortunatis sæculi hominibus humili invidia dignemur, nobisque potiorem ducamus externi splendoris causâ, quo ad sese circumstantium oculos rapit, & venerationis, atque observantiæ, qua vulgò excipi solet: communi quidem usu præscriptas honoris significationes unicuique exhibendo, sed ità, ut, dum corpus erga ipsum inclinatur, & caput demittitur, mens interim erecta, & supernaturalis gradûs sui memor secum dicat: sentiat vulgus, prout libet. Excelsior terre-

na hac tua dignitate mea est. Tu hominibus imperas, ego famulor DEO. Tunc solummodo, eaque una de causa tibi primas deferam, cum in spiritali hac prerogativa mihi anteiveris.

II. Tertius, ex eadem aestimatione consequens affectus animi est, sollicita, & jugis contentio ulterius semper, ulteriusque progrediendi in caelestis Domini famulatu. Cujus exemplo esse nobis possunt terrenorum Principum aulici, indefessa sedulitate ambientes ad officia conscendere, quae Principem propius attingunt, esto illa, quanto plus eminent, tanto gravius sese obeuntibus laboris, & subjectionis onus imponant: adeo ut, haec ipsorum studia intuentes, afficiamur pudore, quod *Filii hujus saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sint*: acriusque, & enixius in mortalis, quam nos in aeterni Regis aula provehari contendant. *Pudeat nos* (Laurentii Justiniani sunt verba) *ab amatoribus hujus saeculi superari: qui, ut sua vota perficiant, suisque superioribus famulentur, exponunt leto animo corpus periculis, & animam perditioni.* *Regina Austri, inquit Dominus, surget cum generatione ista, & condemnabit eam.* *Et ego dico, quod saeculares viri surgent in judicio cum servis DEI, & redar-*  
gu-

gutione illos dignos esse ostendent, tanquam solitudine, & affectione inferiores se. Isti namque sibi minimè parcentes se exponunt periculis, se laboribus macerant, ut humanis attollantur honoribus; illi verò caeleste vocantur ad regnum, & penè adire recusant. (De Obed. c. 9. & 21.)

12. Quartò demum æstimationi, quam hìc commendamus, propriè, ac peculiariter convenit, haud pro magno arbitrari, quidquid ad D E I obsequium vel operati sumus, vel operari unquam possumus, quasi verò multùm nobis propterea immortalis Dominus debeat; sed in maximi potiùs nostri beneficii, ac debiti loco statuere, quòd ab eo vocati, admisiq̃ue in suam simus familiam. Ille siquidem omnis per se boni plenissimus nullà sive hominum, sive Angelorum operâ indiget: neque propriæ utilitatis respectu, sed nostri emolumenti causâ ad sibi serviendum nos provocat, repetens unicuique nostrùm, quod Apostolis olim dixerat: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Quæ persuasio ad fovendum in nobis conducet tum justæ demissionis, tum grati erga illius benignitatem amoris sensum: præsertim verò, si animadvertimus, *non fecisse illum taliter omni nationi: cum, quamvis posset ad regalem suam famu-*

latum tot alios deligere, qui & nihilo nobis minùs merebantur vocari: & multò quàm nos meliùs deserviissent vocanti; illis tamen intrà domos relictis, nos ad suam peculiariter invitare dignatus sit. *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atris tuis: replebimur in bonis domus tuæ. (Ps. 64.)*

#### C A P U T IV.

### De æstimatione, in qua DEI amicitiam haberi par est.

**A**nta est, & adeò creatas res omnes supergreditur DEI magnitudo, ut Ethnicorum sapientùm complures nullam esse homini cum eo posse veram, germanámque amicitiam censuerint. (*Arist. L. 8. Eth. c. 7.*) Nec sinè magna illi quidem rationis, verique specie. Quandoquidem amicitia, teste D. Hieronymo, proportionem aliquam inter partes suo nexu copulandas videtur necessariò requirere: (*In c. 7. Micheæ.*) *Et pares aut accipit, aut facit.* Quæ conditio si absit, poterit quidem inter inæquales naturas simplicis quæpiam benevolentiae affectio, at non etiam propriæ necessitudo a-  
mi.